



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1514. usque ad annum 1520

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118464

§. 104. Tornacum Gallis redditum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66414](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66414)

Sæcul. XVI.
A.C. 1518.

ret: hi autem erant Franciscus Morentia-
cus, Rochepotii Princeps; Carolus Mou-
yus de Meilleraia; Antonius Despretius,
Montpesati Toparcha; Carolus Solerius,
Moretæ in Pedemontio Comes; Hugue-
villi filius natu major; Mortemarii filius
secundo genitus; & denique Melunus,
& Grimaltus. His Anglorum po-
testati traditis, Castellonius Marefcallus
Tornacensis urbis possessionem accepit.

§. CIV.

Tornacum Gallis redditum.

Post hæc ambo Reges Sundinfeldæ,
quod oppidum est Ardrecio & Gui-
næ interjacens, conventum egerunt, ubi
utrinque sancitum, quod Galliarum Rex
Albanæ Ducem revocaret, Scotiæ au-
tem Rex foederis initi pactis accederet.
Die decima quarta Octobris omnes hi
articuli subscribebantur, ac utriusque
Regis consensu, solemnique Juramento
tam Londini quam Parisiis firmabantur.
His peractis Rex atque Regina Franciæ,
qui Delphini Filii sui vices agebant, ei-
dem desponsabant Mariam Principem,
cujus partes procuratoris nomine Somer-
seti Comes gerebat. Celebrabantur hæc
solemnia Parisiis die decima sexta Decem-
bris: Equidem Franciscus I. foederis fi-
ducia fretus, Caleti quoque possessionem

*Polyd. Virg.
l. 27.*



Sæcul. XVI. sibi certam sperabat ; ast Hispaniæ Rex
 A.C. 1518. ejus consilia dissipavit , ad suas partes
 Volseum pertrahens.

§. CV.

Æmulatio Lautrecum inter & Trivulcium Mediolani.

Tot felicitatum concursus Galliarum Regi firmam Mediolanensis Ducatus possessionem polliceri videbatur ; innovata enim erat cum Rege Angliæ armorum societas ; Cæsari vero , ut Ducatum invaderet , belli nervus deficiebat , ac denique amicitiam cum Gallis colere , Hispaniæ Regis intererat , Castellæ atque Arragoniæ solio nondum satis firmato : soli igitur pertimescendi erant illi , quos Rex Ducatus Regimini præfecerat ; nec abs re ; invidia enim , aut immoderato Lautreci studio factum , ut in Mediolanensi Statu civilis belli semina spargerentur ; quippe Joannes Jacobus Trivultius ad Ducatus Metropolim secedens , sine luxu privatam agebat vitam ; ceterum a majoribus suis amplissimis facultatibus auctus , virtutum quoque gloria omnium reverentiam sibi conciliabat ; cum vero Guelforum factioni , cujus caput habebatur , nimium faveret , patria exulare compellebatur , quam tamen repetiit , stipendia merens sub Ferdinando Arragonio